

bus temporalibus, non vero in spiritualibus, quia in his leges ferre non possunt, nec mutare, nec etiam de illis disponere, aut illas administrare: unusquisque autem id potest in materia temporali in territorio suo, sicut supra de legum latione dictum est; nam cum eadem proportione hoc procedit. De quo videri potest Panormitan. in c. 2 de Immunit. ecclesiast., a n. 13; et Sylvest. supra, q. 2 et 9; e contrario vero, de inferioribus principibus qui superiorem temporalem recognoscunt, sequitur non posse propria privilegia concedere, nisi quatenus eis fuerit specialiter concessum a superiori principe, quia non aliter habent potestatem legislativam, ut supra dictum est. Sylvest. autem, dicta q. 9, cum Panorm., dicit eos concedere posse privilegia immunitatis a tributis; statim vero explicant posse id facere in suum præjudicium, non communitatis; et ita, ut supra dixi, illa non sunt proprie privilegia, sed donationes quædam, vel conventiones.

CAPUT IX.

DE MATERIALI CAUSA, SEU SUBJECTO PRIVILEGII, SEU CUI POSSIT CONCEDI.

1. *Prima conditio materiæ legis.*—*Secunda conditio.*—Quia concedens privilegium, aliquid et alicui concedit, ideo hæc duo dici possunt ad materiam privilegii pertinere; unum per modum materiæ circa quam privilegium versatur, aliud per modum subjecti privilegii. Est enim privilegii concessio quædam actio ad alterum, in qua illa duo ex parte materiæ semper distinguimus, ut in materia pœnitentiæ, religionis, et in universum in materia justitiæ. Primum ergo, de materia proxima circa quam versatur privilegium, tantum generaliter dicere possumus debere esse materiam legis capacem, et ex parte postulare generales conditiones legis, ut esse rem justam, rationabilem et honestam, juxta dicta libro 1, cap. 9, specialiter vero addere possumus materiam privilegii tria postulare. Unum est, ut sit favorabilis, ut circa definitionem explicatum est. Et ita versari potest in omnibus humanis commoditatibus, ut in honoribus, muneribus, proventibus, et e converso in oneribus, tributis et aliis exemptionibus; sicque materia hæc infinitam habet varietatem, quæ per accidens est, et ideo sub scientiam non cadit. Alia conditio hujus materiæ assignari potest, ut sit specialis aliqua facultas ad aliquid agendum vel non agendum, recipiendum aut non reci-

piendum. Non enim omnis materia favorabilis est materia privilegii, quia multi sunt favores, aut beneficia, vel liberales donationes, quæ non sunt privilegia, quia solum in facto consistunt, et non concedunt aliquod jus, et ideo nullo modo participant rationem legis; privilegium autem permanentem aliquam facultatem tribuit, non communem; materia ergo privilegii hanc conditionem requirit.

2. *Tertia conditio.*—Addi vero potest necessarium etiam esse ut, secundum hanc specialem rationem, participet conditionem justitiæ et honestatis, quæ debent esse veluti transcendentales, et inclusæ in omni specie, seu differentia legis. Unde cum privilegium habeat duos respectus, unum ad eum cui gratia fit, alium ad eos respectu quorum fit, seu a quibus debet servari privilegium, sub utroque respectu debet justitiam et honestatem servare: diverso tamen modo, nam respectu privilegiarii, satis est quod sit talis materia, ut ab ipso possit honeste et sine injuria aliorum fieri vel omitti, saltem supposito privilegio: respectu vero aliorum, oportet ut vel nullum vel moderatum gravamen contineat, ita ut secundum rectam rationem ad illud sustinendum obligari possint. Et juxta hanc generalem regulam de singulis privilegiis judicandum est: neque enim hic possumus magis in particulari ad illa descendere: infra vero, tractando de privilegiorum interpretatione, nonnullas regulas ad interpretanda privilegia, ex hac generali doctrina, colligemus.

3. *De persona cui conceditur privilegium.*—Superest dicendum de persona cui privilegium conceditur. De qua loqui possumus de possibili, vel de facto. Prior sensus pertinet ad capacitatem privilegii; posterior vero ad actualem concessionem passivam, seu participationem privilegii. Dicendum ergo imprimis est omnem hominem alteri subditum, vel aliquo modo inferiorem, esse capacem privilegii, et nullum alium. Quæ assertio tres habet partes. Prima est de personis subditis, sub quibus comprehendimus omnes habentes in terris inferiores; nam sicut omnes illi, de se accipiunt se loquendo, sunt capaces legis sibi impositæ a suo superiore, ita etiam sunt capaces privilegii, quia quantum est ex se possunt eximi a lege, si aliæ conditiones necessariæ intercedant. Item, dare et recipere quasi correlativa sunt, seu reciproca; sed omnes principes habentes potestatem ferendi leges possunt privilegia concedere, et consequenter maxime possunt illa suis subditis concedere; ergo, e

contrario, subditi sunt capaces privilegii. Imo hinc inferunt aliqui, solos subditos, ut tales sunt, esse privilegii capaces, quia princeps suis tantum subditis, et intra ditionem suam potest concedere privilegia, quia solis illis potest imponere legem, et solos illos potest a lege solvere; ergo etiam subditi a solis suis principibus possunt privilegia recipere; ergo tantum homines subditi, ut subditi sunt principi habenti talem potestatem, sunt capaces privilegii.

4. Addidi vero secundam assertionis partem, quia non solus subditus videtur posse a suo superiore accipere privilegium, sed etiam ab alio. Nam etiam princeps non solum subditis, sed etiam non subditis potest concedere privilegium. Verbi gratia, dux Florentiæ potest concedere Lusitanis privilegium, ut transeundo per suam ditionem non solvant pedagia, vel quid simile. Atque hoc clarum supponunt Innocent., Panorm., Felin. et fere omnes alii in cap. *Novit*, de Judiciis, et in cap. 4 de Probat., constituentes differentiam inter privilegium concessum subdito vel non subdito, quod illud revocabile est, hoc irrevocabile, de qua differentia postea videbimus; nunc solum ex illa sumimus non subditum esse capacem privilegii. Inductione etiam ostenditur: nam imperator concedit privilegia iudicibus ecclesiasticis, licet illi subditi non sint, ut quod, in aliquo casu, per viam appellationis possint directe de laicis in causis temporalibus judicare, ut patet ex c. *Quicumque*, 11, q. 1. Similiter possunt seculares principes privilegium concedere clericis, licet illis non sint subditi, ut constat ex multis legibus, c. de Episc. et Cleric. et de Sacros. Eccles. Quin potius, cum sit certum legem civilem disponentem in specie circa clericos, nec illos obligare, nec ab illis servandam esse, ne videantur suo privilegio fori præjudicare, nihilominus si talis lex merum privilegium contineat, ab eis acceptari potest, cum Abbate docet Felin. in c. *Eccles. Sanctæ Mariæ*, de Constit., n. 40, in c. *de*; et rationem reddit, quia tunc cessat ratio superioritatis, cum non subditus possit privilegiari, cap. *Novit*, de Judic. Ratio autem cur non subditus possit privilegiari est, quia privilegium, ut sic, non requirit vim coactivam, nec vim directivam in privilegiarium, quia privilegium illum non obligat, nec ad poenam, nec sub culpa; ergo privilegium, ut sic, non requirit subjectionem.

5. Propter hoc ergo dixi in secunda parte assertionis, *Vel aliquo modo inferiorem*, quia

in rigore non est necessaria propria subiectio in eo qui privilegium accepturus est, vel ut illius sit capax. Hoc autem maxime verum est de privilegio quod non continet dispensationem aut exemptionem ab aliqua lege, quia si dispensationem contineat, eo ipso est actus jurisdictionis voluntariæ, et supponit jurisdictionem non voluntariam, scilicet, ad ferendum præceptum obligans, a quo fit exemptio seu dispensatio, de quo privilegio loqui videntur qui subjectionem tanquam conditionem necessariam in privilegio requirunt. Privilegium autem quod non derogat alicui legi, non requirit, formaliter loquendo, jurisdictionem respectu ejus cui tale privilegium conceditur, quia talis concessio non est actus jurisdictionis, ut per se patet, sed est actus liberalitatis, vel potest etiam esse pactum aliquod, ut infra dicemus; ergo tale privilegium non requirit subjectionem in eo cui conceditur. Unde concedi potest et æquali, et superiori, et alieno (ut sic dicam), vel peregrino, ut ex exemplis adductis constat.

6. *Recipiens privilegium semper supponitur inferior aliquo modo.*—*Obviatur objectioni.*—Nihilominus tamen semper recipiens privilegium supponitur aliquo modo inferior. Quod clarius cernitur quando privilegium datur a rege clericis suæ reipublicæ vel regni; nam, licet illi exempti sint a jurisdictione temporali, nihilominus sunt vasalli, et tenent suum principem recognoscere in his quæ suæ immunitati non sunt contraria, quia sunt membra communitatis cujus ille est caput. Idem cernitur in alienis qui, dum transeunt per terras alterius principis, ab illo recipiunt aliquod privilegium: nam illi dum ibi peregrinantur aliquo modo sunt inferiores et subditi. Si vero unus rex alteri regi vel principi supremo concedat privilegium, semper erit cum habitudine ad terras suas, respectu quarum alter est inferior et inæqualis, esto non sit subditus. Quomodo etiam Pontifex est capax privilegii recipiendi ab imperatore vel principe temporali, ut omnes dicti juristæ supponunt, ut patet de illo privilegio exercendi jurisdictionem directam in aliquibus causis civilibus, et idem est in privilegio extrahendi de regno alieno res prohibitas per leges illius regni, et similia. Dices: cum privilegium sit lex, quomodo potest concedi sine usu jurisdictionis? Respondeo, ideo dixi, me loqui formaliter respectu ejus cui privilegium conceditur, quia ut sic non obligat illum, et ideo respectu illius non est necessaria jurisdictio:

quatenus vero in tali privilegio includitur ratio legis obligantis alios, sic requirit jurisdictionem in illos; et hinc est ut nullus princeps possit tale privilegium concedere, nisi intra conditionem suam, vel in ordine ad illam.

7. Unde patet facile tertia pars assertionis, quæ potius videri potest superflua, quia sub duobus primis membris comprehenduntur omnes homines subditi; quid ergo mirum quod extra illos nulli sint alii capaces privilegii humani, nisi fortasse intelligantur ibi exclusi homines non viatores, quod vanum esset. Posita ergo est illa particula ad denotandum non posse unum principem concedere privilegium alteri, ut æqualis illi est, in his rebus quas ipse in suo territorio cupit exercere; nam si per se non possit, nunquam poterit ex privilegio alterius principis, etiamsi in potentia et divitiis excedere videatur. Et ratio est clara, quia talis princeps nullam habet in alieno territorio potestatem. Et eadem ratione non potest unus princeps privilegium concedere vasallo alterius sine aliqua dependentia ab ipso, per habitudinem aliquam ad terras suas, quia sine hac non potest intelligi quomodo potestas principis se extendat ad alienos quoad privilegia. Nam, licet possit liberalem donationem alteri facere de rebus suis, illa tantum est purum donum in facto consistens, non privilegium de cuius ratione est, ut per modum juris specialis ac legis privatæ constituatur, quam nullus princeps potest constituere, dando alteri non subdito facultatem aliquid agendi, vel non agendi, nisi in terris suis, vel ex illis, aut circa illas, aut cum aliqua simili habitudine.

8. *An idem sibi concedere possit privilegium.*— Sed quæres an idem possit sibi concedere privilegium, ut, verbi gratia, Pontifex, et qui in quolibet ordine non habet superiorem. Nam ille etiam potest indigere privilegio quod aliis potest concedere, et ab alio non potest recipere; poterit ergo sibi illud applicare, quia peioris conditionis esse non debet. Et confirmatur: nam hac ratione dicimus posse Pontificem sibi indulgentiam concedere, et secum in præceptis ecclesiasticis vel in votis dispensare. Item, perinde est concedere privilegium domui suæ vel rebus suis, atque sibi; sed imperator dat privilegia domui suæ, et rebus suis, ut constat ex tit. c. de Privileg. dom. Augustæ, et de Privileg. eor. qui in sacr. pal. milit., lib. 12; ergo verisimile est posse principem statuere privilegium sibi servandum, quia, ut cedit in commodum Prin-

cipis, non est actus jurisdictionis; et ut est propria lex, circa subditos versatur, dirigendo actus eorum circa suum principem.

9. *Respondetur ad quæsitum negative, licet forte sit quæstio de nomine.*—Nihilominus tamen facile defendi potest hæc non esse proprie privilegia ipsius Principis, licet forte ad modum loquendi hoc pertineat. Hoc autem in Pontifice (et idem est cum portione de reliquis) ita declaro, quia in his quæ non sunt contra obligationem alicujus communis legis, aut voti, non potest inveniri materia privilegii in Pontifice respectu sui ipsius, quia nullam specialem potestatem, aut gratiam aliis concedit, quam ipse a Deo non habeat jure suo, et potestate ordinaria. Unde, licet aliquando videatur sibi speciale jus assumere, ut quando quædam beneficia specialiter sibi afficit, vel speciale honorem sibi reservat, vel specialem modum electionis pro sua dignitate constituit, in his et similibus, non tam privilegia sibi assumit, quam suo jure utitur, et jus divinum suæ dignitatis vel declarat, vel determinat, et de tali determinatione jus quoddam commune constituit. Quando autem personas vel communitates aliquas eximit a subjectione inferiorum Prælatorum, et sibi subicit immediate, vel sub sua potestate assumit, etc., aliis quidem privilegia concedit, quoad se vero quod suum est retinet, et participationem potestatis quam aliis communicaverat, interdum revocat. Et idem est in similibus; ideoque ubi non intervenit indulgentiarum applicatio vel dispensatio in lege, non potest inveniri proprium privilegium, quod Papa sibi vel suæ dignitati proprie concedat. Et declaratur amplius, quia pontificia dignitas ex ipso divino jure singularis est et communis; singularis in excellentia et potestate, communis in efficacia et utilitate: et ideo prærogativæ illius, si privilegia dicenda sunt, magis sunt de jure divino quam humano, ut est privilegium immunitatis in omni foro, et in omni causa, tam civili quam criminali, et ab omni censura, et ecclesiastica pœna, et similia: quod si aliquid interdum est ex institutione pontificia, est tanquam debitum jure naturæ illi dignitati, ideoque (ut ita dicam) potius est determinatio quædam juris divini, quam humanum privilegium.

10. *Non solet indulgentia significari nomine privilegii.*— Pontifex sibi indulgentiam potest concedere.—Indulgentia vero habet specimen quoddam privilegii, communi tamen usu non ita vocatur, nec solet comprehendere sub

nomine privilegiorum in generalibus rescriptis Pontificum, nisi mentio illius proprio nomine fiat. Et ratio est, quia indulgentia est quædam absolutio, et non est facultas aliquid agendi, vel non agendi, quam privilegium specialiter significat, ut dixi, vel certe indulgentia est quædam spiritualis eleemosyna de thesauro Christi per dispensatorem ejus facta; eleemosyna autem non est privilegium, sed purum beneficium alterius rationis. Quapropter, licet Pontifex possit sibi indulgentiam applicare, ut late dixi in 4 tom., disput. 52, sect. 1, non inde sequitur posse proprium privilegium sibi concedere. De dispensatione item fatemur posse Pontificem secum in sua lege dispensare, ut eodem loco dixi, tamen non videtur facere per modum privilegii, quasi eximendo se a lege absolute, sed ex justa causa, et quantum causa postulaverit, factum potius exercendo, quam speciale jus circa se constituendo, ideoque talis dispensatio non habet rationem legis privatæ, nec privilegii. In voto autem potest secum dispensare, illud simpliciter auferendo si causa subsit; hæc autem dispensatio solum est remissio quædam debiti, non exemptio ab aliqua lege, ut alibi dictum est, et ideo nec in Pontifice, nec in aliis habet propriam rationem privilegii.

CAPUT X.

QUODNAM SIT DE FACTO SUBJECTUM PRIVILEGII QUOAD PERSONAM CUI CONCEDITUR.

1. Diximus cui possit privilegium concedi; ad moralem autem et practicam doctrinam desiderari potest ut explicemus cui de facto concedatur privilegium. Quod ita generatim sumptum, quæstio est facti, non juris, nec cadit sub scientiam, quia est contingens, et ex variis occasionibus pendet. Si autem quærat quibus personis aut communitatibus privilegia in jure concedantur, erit quidem suo modo quæstio juris, sed vastissima, quæ infinita comprehendit. Dantur enim privilegia Episcoporum, clericorum, religionum, militum, doctorum, scholarium, minorum, uxorum, piarum causarum, et similia, quæ hic prosequi non possumus, sed videri possunt doctores qui varios tractatus de his privilegiis scripserunt, ut Rebuff. de Privilegiis scholarium; Tiraquel., de Privilegiis piæ causæ, et alia similia, quæ in t. 18 Tractatum videri possunt; et de privilegiis religiosorum

multa disputavit Emman. Roder. in suis quæstionibus regular., quæ in 3 tom. de Statu Religionis reservamus.

2. *Quæstio cum ratione dubitandi.*— Alia ergo quæstio propria hujus loci esse potest, an privilegium his tantum intelligatur concessum qui in ipso expresse nominantur, vel sub illis interdum comprehendantur alii. Nam, prima facie, videtur hæc res non posse habere dubitationem, sed dicendum necessario esse, illis tantum concedi qui expresse nominantur. Primo, ex illo principio, quod privilegia tantum valent quantum sonant, et non amplius, quæ regula non solum intelligitur quoad res concessas, sed etiam quoad eos quibus conceduntur, cum eadem sit utriusque ratio; ergo privilegia tantum valent illis, quibus expresse conceduntur; quia illi tantum sonant (ut sic dicam) in ipso privilegio. Secundo, quia illis tantum conceditur privilegium ad quos dirigitur intentio concedentis, cum ex ejus voluntate pendeat concessio et extensio privilegii; sed intentio tantum extenditur ad eos qui verbis concedentis exprimuntur, quia non potest nobis aliter de illius intentione constare; ergo. Tertio, quia privilegium est stricti juris, et ideo extendi non debet ultra verba formalia et expressa.

3. In contrarium vero est, quia, in multis casibus, sub expresse nominatis intelliguntur alii comprehensi quoad participationem privilegii, quia virtute in illis continentur, licet expresse non nominentur; ergo vel non potest regula generalis in contrarium statui, vel si istæ sunt exceptiones, assignanda est regula observanda in hujusmodi exceptionibus faciendis. Antecedens patet primo, quia privilegium concessum viris intelligitur esse concessum feminis, si illius sunt capaces, et in aliis, quæ privilegium concernunt, ita cum viris conveniunt, ut privilegium possit illis commode adaptari. Ita sentit Gloss. in cap. *Generali*, de Elect., in 6, verb. *Universos*; Gloss. in Clem. 1 de Elect., verb. *Homines*; expressius Archid. in c. *Si quis suadente*, 17, quæst. 4; et Bald. in c. *Ad audientiam*, 11, de Rescript., n. 12; Rebuff., in l. 1, ff. de Verb. signif., circa verb. *Si quis*, ampliatur. 17; Tiraquel., lib. 1 de Re-tract. linag., § 1, Gloss. 9, n. 207, contra aliquos quos n. 188 retulerat; et videtur colligi ex dicta lege, quæ declarat particulam *Si quis*, feminam comprehendere. Facit etiam l. *Lucius*, 91, § *Quæsitum*, ff. de Legat. 3, ubi dicitur, in testamento nomine fratrum venire sorores, nisi aliud sensisse testatorem probetur.

Secundum exemplum est de privilegio concessio patri; nam intelligitur concessum filiis, quia censetur unum cum patre, l. *Etiam*, 19, ff. Solut. matrimon.; sentit Bald., in leg. ult., c. de Libertis et eor. lib., n. 8, et in l. *Non plures*, c. de Sacros. Eccles., n. 7; et videri potest Barbos. in l. *Maritus*, 12, n. 79. Tertium et simile exemplum est, quod nomine filiorum solent nepotes in privilegiis venire, ut sumitur ex Authent. *Si quid*, c. Qui potio. in pign. hab., et ex l. *Justa*, 201, ff. de Verb. signif., et tradit Bart. in l. *Si cum procuratore*, ff. de Re judic. in fine; Antonin. Negusian., tract. de Pignorib., part. 1, memb. 4, n. 95, ubi alios refert. Quartum exemplum est: nam privilegium domino concessum consequenter conceditur servis qui illum comitantur, et concessum sacerdoti ad celebrandum, est virtute concessum ministranti, et sic de aliis quæ videntur esse correlativa, vel conjuncta in usu privilegii.

4. *Regula generalis.* — Nihilominus in hoc puncto regula generalis constituenda est, subjectum actuale privilegii (ut sic dicam), seu personam vel rem cui actu conceditur privilegium, illam tantum esse quæ in ipso privilegio exprimitur, vel ex vi vocis, aut actionis, seu materiæ, vel ex aliqua juris dispositione sub illa comprehenditur. Hanc assertionem quoad regulam generalem probant sufficienter rationes dubitandi in principio positæ. Solum, in tertia ratione, est advertendum non æque procedere in omni privilegio, sed distinctione utendum esse, ut infra, tractando de interpretatione privilegii, latius dicemus. Nam privilegium juri communi contrarium sub ea ratione odiosum censetur, et ideo potius restringendum est quam ampliandum. Item privilegium, licet sit præter vel supra jus, si cedat in præjudicium tertii, secundum eam rationem est stricti juris, et coarctandum, ut omnes auctores proxime citati fatentur. Et ita in his duobus privilegiorum generibus maxime procedit regula data, et vix habet exceptionem saltem in *casu dubio*, sed tantum in *casu certo*, juxta circumstantias in secunda parte assertionis insinuatæ. Et ratio est, quia non præsumitur princeps plus velle derogare juri communi aut velle privare aliquem jure acquisito, vel majus præjudicium tertio inferre, quam suis verbis exprimat ac declaret; ergo in dubio semper limitandum est privilegium ad personam in eo expressam, quando vel derogat juri communi, vel alterum lædit.

5. At vero, quando privilegium est omnino

favorabile, sine præjudicio juris communis aut tertii, tunc ample quidem intelligendum est, ideoque extendi potest facilius ad personas non clare expressas in privilegio. Quia vero tota concessio et extensio pendet ex intentione concedentis, quæ ex verbis cognosci debet, ideo necesse est ut, vel privilegium intelligatur concessum soli personæ in illo expressæ, vel si aliqua extensio est facienda, oportet ut sit per aliquam necessariam connexionem cum illa. Hæc autem connexio videtur necessario sumenda vel ex significatione vocis, quia cum proprietate patitur illam ampliationem, licet alium etiam usum habere possit, vel ex necessitate materiæ vel actionis, quia sine tali extensione privilegium reddetur inutile, aut inurbanum, aut moribus hominum non accommodatum, quod de principe præsumendum non est. Neque præter hæc duo capita videtur posse excogitari aliud, quod ex ipsomet privilegio sumi possit ad extendendum illud. Addidimus vero tertium caput in assertionem, scilicet, juris dispositionem, quia jus habet vim et auctoritatem ad amplianda privilegia, et ad privilegiorum verba declaranda, vel augenda, quoad eorum significationem. Quando ergo prædicta connexio ex aliquo capite istorum satis nota fuerit, tunc certa est illius ampliatio ad personas connexas, et in privilegiis hujus tertii generis idem servari poterit in casu dubio, quia hoc privilegium non est stricti juris; et ita retorquendo tertiam rationem in principio factam, manet declarata et probata tota assertio; declarabitur tamen amplius respondendo ad posteriora exempla: nam priores rationes non postulant solutionem. Et rationi in contrarium objectæ damus totum quod intendit; propter illam enim assignavimus regulam cum prædicta moderatione, quæ nobis videtur exceptiones omnes, quæ fieri possunt, comprehendere, quod respondendo ad exempla adducta patebit, nam eadem erit ratio aliorum.

6. Ad primum ergo exemplum, respondeo duobus modis posse privilegium concedi viris, uno modo per nomen definite significans viros, seu masculos, ut si loquatur privilegium per hæc ipsa verba *viros*, aut *masculos*: alio modo loqui potest privilegium per nomen communis seu ambiguae significationis, ut est hoc nomen *homo*, *filius*, et alia quæ cum illis adæquate vel adjective conjungi possunt, ut, *religiosus*, *nobilis*, et similia; talia etiam sunt illa signa *nullus*, *omnis*, *quis*, *qui*, et similia. Dico igitur quoties privilegium viris concedi-

tur sub prioribus nominibus, non comprehendere feminas, nec illis concedi. Ita sumitur ex Rebuff. supra dicente, si privilegium concedatur religiosis sub hac additione, *Viris religiosis* (qualis habetur in c. *Pastoralis*, de Privil.), non extendi ad moniales. Confirmarique hoc potest ex his quæ de nomine viri tradit Bart. in l. 1, c. de Dignit., lib. 12, n. 41. Idem certius est si privilegium concedatur *filiis masculis*; nullo enim modo extenditur ad feminas, etiamsi maxime favorabile sit. Et ratio est, quia hæc voces ita significant mares, ut distinguant illos a feminis, et ideo constat ex jure, quando instituuntur seu vocantur *masculi* sub hac voce tantum, excludi feminas, ut late supra tradit Rebuff. dicta lege prima, ad verb. *Masculos*. Addit vero limitationes communes, nisi necessitas cogat aliter interpretari. Sed credo id habere locum in testamentis, quia sæpe testatores, vel propter imperitiam, vel propter turbationem et memoriæ defectum, nominibus improprie utuntur; raro vero accidere in privilegiis, quæ cum majori maturitate conceduntur. Item facilius id admitterem in nomine *vir* quam in nomine *masculi* aut *maris*. Nam *vir* interdum videtur comprehendere feminas, etiam in communi et vulgari sermone, quando materia id requirit, ut est optimum exemplum in cap. 1 de Præsump., quod continet illam sententiam sapientis Proverb. 26: *Sicut noxius est qui mittit sagittas et lanceas in mortem, ita vir qui fraudulentè nocet amico suo.* Quæ sententia etiam in feminas convenit. Et est frequens in Scriptura, ut Psalm. 1: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum*; et Psalm. 111: *Beatus vir qui timet Dominum.* Quibus locis videtur pro nomine generatim sumi. Quo modo etiam videtur intelligi c. *Licet universi*, de Testib. Sed hic usus rarus est, et nisi evidens sit necessitas, ad privilegia non est accommodandus. Multo vero magis vitandus est in nomine *masculi*, vel æquipollenti, quia nunquam proprie accipitur in communi significatione abstrahente ab æquo sexu.

7. Quando nomen est commune duorum, privilegium, maxime favorabile, concessum sub masculino nomine comprehendit alium sexum. — At vero quando nomen est commune duorum, tunc habet locum dicta sententia, quod privilegium, præsertim favorabile, concessum sub masculino nomine, comprehendit sexum femininum; et ita privilegia religiosis alicujus ordinis concessa, intelliguntur etiam concedi feminis in his quæ possunt ipsis adaptari, ut

bene tradit Emman. Roder., tom. 1, q. 13, art. 22. Sic etiam privilegium absolute concessum filiis, etiam filiabus est commune, nisi ex alio capite ex supra dictis limitandum sit, quia ex vi vocis *fili*, nomen commune est filias complectens, ut habetur in l. *Justa*, 201, ff. de Verb. signific., et sumitur ex l. *Filii*, et l. *Cognoscere*, eodem, quatenus in priori dicitur filios vocari omnes liberos; in alia vero dicitur liberorum nomine contineri et viros et feminas; et per se constat, quia liberorum nomen tantum habet masculini formam, et non femininam in hac significatione. Ergo etiam in materia privilegiorum quod filiis absolute conceditur, filiabus etiam datur ex vi vocis, si et illis adaptari possit, et aliunde non constet de mente magis restricta. Idem censeo de nomine fratrum; nam quod illis conceditur, debet intelligi concessum sororibus, posita capacitate, et ablatis aliis impedimentis. Quia nomine fratrum, in communi modo loquendi et Scripturæ, et vulgari, et juris, nomen fratris commune est de se, et ideo nomine fratrum sorores veniunt, ut sumitur ex dicta l. *Lucius*, et ex l. *Tres fratres*, ff. de Pact., et multa similia exempla de consanguineis, propinquis, etc., sumi possunt ex Rebuff. in dict. l. 1, et Tiraq., l. 1 de Retract. linag., § 1, Gloss. 9, n. 200 et sequentib.

CAPUT XI.

AN PRIVILEGIUM EXTENDATUR AD CONJUNCTA SEU CORRELATIVA.

1. Hoc dubium petitur in posterioribus exemplis positæ in capite superiori, et continet varias quæstiones de conjunctis, seu correlativis, an, scilicet, privilegium uni concessum censeatur consequenter alteri concessum; ut, an privilegium concessum marito censeatur concessum uxori, vel datum patri communicetur filiis, et datum avo transeat ad nepotes, vel datum domino communicetur familiaribus seu servientibus, vel datum uni sociorum alteri commune sit. De quibus quæstionibus, qui multa desiderat, legat Barbosam in l. *Quia tale*, ff. de Solut. matr., a num. 22: et Baptist. de S. Blas., tr. de Correlat., præsertim n. 23 et 35. Solum ergo dicimus applicandam esse regulam generalem supra traditam cum suis moderationibus. Nimirum, privilegium concessum uni et propter rationem in illo solo existentem, non transire ad alios quantumvis correlativos, neque illis communicari ex vi